

**EUGENIUS IV.
PAPA CCIX.
ANNO DOMINI MCCCCXXXI.**



Die 3. Martii 1431. electus est in Romanum Pontificem Gabriel Condolmerius Presbyter Cardinalis S. Clementis, qui Eugenius IV.

voluit appellari. Hic patria Venetus Ordinem Canonicorum Sæcularium S. Georgii in Alga Venetiarum, cui initium dederat, professus a Gregorio XII. Senensi præfectus est Ecclesiæ. Coronatus nono ab electione die sedit in Pontificatu Annos xv. Menses xi. dies xx. temporibus Joannis VII. Paleologi in Oriente Imperatoris, & Sigismundi, Alberti II. & Frederici III. Regum Romanorum. Sex habitis promotionibus xxvi. Cardinales creavit. Tandem sexagenario major mortuus est die

23. Februarii anno 1447. & sepultus est in Basilica S. Petri. Vacavit Sedes dies x.

In Basileensi Pseudo-Sinodo die 5. Novembris 1339. contra Eugenium electus est Pseudo-Papa Amedeus Sabaudia Dux, qui ante aliquot annos eremiticam vitam induerat, & Felix V. est appellatus. Hic ab Eugenio PP. intentato prius eidem judicio, tamquam hæreticus, & Schismaticus damnatus, tandem penitentia ductus, abjectoque Pseudo-Pontificatu Nicolaum V. verum esse Pontificem profiteretur anno 1449. decennio post male arreptam dignitatem. Quo pacto ejus Pseudo-Cardinalibus eundem Nicolaum per speciem deligentibus, dedit Deus Ecclesiæ suæ pacem.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. M. de Rubéis Archiep. Tarfi Vicefger.

IMPRIMATUR,

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

De Carnium
esu.

Mansione,
& de ambu-
lacione in
Claustris.

Frates ad ob-
servantiam an-
teioris regu-
le non tenen-
tur.

Concessis ve-
ro antea Pri-
vilegiis gau-
dent.

Confessorium
que sibi ex
ipso ordine
possunt elige-
re.

De relapsis.

§.3. Nos verò, qui plantare Religionem
facram, & plantatam modis omnibus fovere
intensis desideriis affectamus, super hoc,
quantum nobis est possibile, providere salu-
briter cupientes, & rigorem hujusmodi qua-
dam temperie mitigantes, ac Regulam ipsam
moderantes, apostolica auctoritate tenore
præsentium statuimus, ordinamus, & con-
cedimus, quod dicti Ordinis professores, qui
nunc sunt, & pro tempore erunt, tribus dum-
taxat diebus singularum septimanarum,
etiam quibus, ut præfertur, jejunare juxta
eamdem regulam sint adstricti, præterquam
in Adventu, & in Quadragesima, & aliis
generalibus prohibitis diebus, carnibus vesci.

§.4. Ac horis congruis in eorum Eccle-
siis, & illorum Claustris, ac per eorum am-
bitus manere, & deambulare licite, & li-
bere valeant.

§.5. Decernentes eos, & eorum singu-
los circa præmissa ad arctiorem observan-
tiam, quam supra præmittitur, occasione
professionis in dicto Ordine emissa, vel in
posterum emittende minime teneri.

§.6. Et nihilominus Fratribus eisdem,
qui Regulam ipsam, ita ut præmittitur, mo-
deratam observaverint, quod eis proficiat
in remissionem peccatorum omnibus, &
singulis privilegiis, indultis, immunitati-
bus, libertatibus, exemptionibus, protec-
tionibus, & prærogativis eidem Ordini per
antea concessis, uti, & gaudere possint,
eadem auctoritate concedimus per præsen-
tes: Constitutionibus Apostolicis, & statu-
tis, consuetudinibus etiam prædictis, & aliis
Ordinis, & Regulæ prædictis capitulis, ju-
ramento, confirmatione Apostolica, vel
alia quavis firmitate vallatis, ceterisque
contrariis non obstantibus quibuscumque.

§.7. Et ut ipsi Fratres in humilitatis, &
paupertatis spiritu, ac castimonia virtutum
Domino famulantes, ad hujusmodi mitiga-
tam regulam observandam ferventius anie-
mentur omnibus, & singulis Fratribus dicti
Ordinis, præsentibus, & futuris dumtaxat,
qui regulam istam, sic, ut præmittitur,
moderatam observaverint, seu in observan-
tia ipsius vixerint, ut Superiores ipsorum dicti
Ordinis, vel alius quicumque idoneus ejus-
dem Ordinis sacerdos, omnium peccato-
rum suorum, de quibus corde contriti, &
ore confessi fuerint, semel tantum in mortis
articulo plenam remissionem in statu, &
sinceritate S. R. E. ac obedientia, vel de-
votione nostra, vel successorum nostrorum
Romanorum Pontificum canonice intran-
tium, necnon observantia prædicta persis-
tente auctoritate Apostolica, concedere
valeant, devotioni ipsorum, tenore præ-
sentium indulgemus. Sic tamen, quod iidem
Superiores, de quibus fuerit alteri satisfac-
tio impendenda eisdem Fratribus, si su-
pervixerint, vel per alios, si forte transe-
rint, faciendam injungant: quam ipsi Fra-
tres facere teneantur, ut præfertur.

§.8. Et ne, quod absit propter hujus-
modi gratiam, Fratres prædicti reddantur
procliviores ad illicita in posterum commit-
tenda, volumus, quod si ex confidentia re-
missionis hujusmodi, prædicti Fratres ali-

quando forte committerent, quoad illa
prædicta remissio nullatenus suffragetur.

§.9. Et insuper, quod per unum, ex
quo nostra præfens concessio ad eorumdem
Fratum pro tempore existentium notitiam
pervenerit, computando, singulis sextis fe-
riis, impedimento legitimo cessante, jeju-
nent. Quod si prædictis sextis feriis ex præ-
cepto Ecclesiæ, regulari observantia, in-
iuncta poenitentia, voto, vel alias jeju-
nare teneantur, u. a. alia die singularum septi-
manarum ejusdem anni, qua ad jejunandum
non sint adstricti, jejunent. Et si in dicto
anno, vel aliqua ejus parte essent legitime
impediti, anno sequenti, vel alias quum
primum potuerit, modo simili, supplere
jejunium teneantur. Porro, si alias for-
san prælibatum jejunium in toto, vel in
parte adimplere commode non potuerint,
eo casu Superiores ipsorum, & jejunium
ipsum in alia pietatis opera, prout saluti
animarum illorum viderint expedire, com-
mutare valeant, quæ ipsi pari modo de-
beant adimplere. Alioquin nostra hujusmo-
di præfens concessio, quoad non observan-
tes dumtaxat, nullius esset roboris, vel
momenti. Nulli ergo, &c.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno In-
carnationis Dominicæ 1431. 15. Kalendas
Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

I V.

Statuta, & Ordinationes à Clero Urbis in
publicis Solemnitatibus servanda, alia-
que circa eisdem reformationem, &
gubernium decernit.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Apostolicæ dignitatis specula licet im-
meriti disponente Domino super gregem
ejus constituti, in iudicium nobis Apostola-
tus officium exequi cupientes, ad ea liben-
ter nostræ circumspectionis dirigimus intui-
tum, per quæ inter personas ecclesiasticas
sublati erroribus virtutum norma pro Re-
gis æterni gloria resurgat: ac totius æquita-
tis, & iustitiæ salutaria proveniant incre-
menta: & iis, quæ propterea ritè processit-
se comperimus, ut illibata persistant, li-
benter, cum à nobis petitur, muniminis
firmitatem impartimur.

§.1. Sane petitio pro parte venerabilis
Fratri nostri Gasparis Archiepiscopi Con-
stan. nostri in spiritualibus in Alma Urbe Vi-
carii nuper exhibita nobis continebat, quod
dudum venerabilis Frater noster Daniel
Episcopus Parentin. tunc noster in dicta Ur-
be in spiritualibus eisdem Vicarius, inten-
dens reformationi dilectorum filiorum uni-
versi Cleri dictæ Urbis pro eorum salutari
regimine, & vita laudabili nonnullas Con-
stitutiones, & ordinationes, prout in qua-
dam Instrumento publico super hoc con-
fecto latius continetur, edidit, & publicavit
inviolabiliter observandas.

§.2. Quare pro parte dicti Archiepisco-
pi nobis fuit humiliter supplicatum, ut con-
fi-

De Jejunio
sexta Feria.

Dat. die
15. Februarii
1432. an. 1.

Ex Regest. in
Archiv. Vati-
cane.

Proemium.

Ab Urbis Vi-
cario factas
olim pro Cle-
ro Constitu-
tiones.

Confirmatio-
ne Apostolica
dignas.

Firmat, ser-
vatiq; man-
dat.

Tenor dicta-
rum Consti-
tutionum.

Ordo in pu-
blicis Proce-
ssionibus ser-
vandus.

Eorum tem-
pore non con-
fabulandum,
sed orandum.

Clerici, &
Beneficij ca-
se domi vi-
vant.

stitutionibus, & ordinationibus hujusmodi
pro eorum subsistentia firmiori, ac salubri
gubernaculo morum, & honestatis dicto-
rum Cleri robor apostolicæ confirmationis
adiciere de benignitate apostolica digna-
remur.

§.3. Nos igitur Clerum ipsum in viam
domini salubriter dirigi cupientes, hujusmo-
di supplicationibus inclinati, dictas Consti-
tutiones, & ordinationes, quarum tenorem
cum Instrumento præfato de verbo ad ver-
bum præsentibus inseri fecimus ratas ha-
bentes atque gratas, eas auctoritate Apo-
stolica confirmamus, & presentis scripti
patrocinio communimus, decernentes nunc
irritum, & inane, si fecus super his à quo-
quam quavis auctoritate scienter vel igno-
rante contigerit attentari: non obstantibus
Constitutionibus, & ordinationibus
Apostolicis caterisque contrariis quibus-
cumque.

§.4. Tenor autem dictarum Consti-
tutionum, & Instrumenti sequitur, & est talis
(Daniel Episcopus Parentin. Sanctissimi in
Christo Patris, & Domini nostri Domini Euge-
nii divina providentia Papa quarti in Alma
Urbe, & ejus districtu in Spiritualibus Vicar-
ius Generalis deputatus Universis, & singulis
presentes litteras inspecturis salutem in Domino
sempernam.)

§.5. Ad ea ex officio nobis commissi
debito libenter intendimus, per quæ Eccle-
siasticus ordo per viam Domini salubriter
dirigatur, ac utiliter conservetur. Cupien-
tes igitur, ut mores, & vita Clericorum
dictæ Urbis pro eorum salute, & honestate,
ac aliorum exemplo laudabili in melius di-
rigatur; infra scriptas Constitutiones, &
Capitula per eosdem Clericos, & quemlibet
ipsorum observanda ad honorem Dei omni-
potentis edidimus, & ordinavimus: quo-
rum tenor per omnia sequitur, & est talis.

§.6. In primis igitur statuimus, & ordi-
navimus, quod in quibuscumque Processio-
nibus faciendis Clerici ordine infra scripto
incedant videlicet: quod illi, qui fuerint
pro tempore deputati portare Pluvialia sint
propinquiores nobis, aut Successori vel Lo-
cumtinenti nostro: antiquiores vero Archi-
presbyteri Ecclesiarum Cardinalium suo
ordine bini, & bini, deinde antiqui Cano-
nici dictarum Ecclesiarum Cardinalium se-
cundum antiquitatem, & posterioritatem
eorum incedant: & hoc sub pena arbitrio
nostro, aut Officialis aut Successorum no-
strorum hujusmodi Vicariatus, seu Officia-
lium suorum, qui pro tempore fuerint, exi-
genda.

§.7. Item, quod nullus, dum proces-
sionaliter incedit, cum aliquo confabulare
præsumat, sed caute aut orationibus à
seipso, si cantare nescit, insistat sub pena
prædicta.

§.8. Item, ut Clericorum mores in me-
lius reformentur, & Clerici ipsi continen-
ter, & caste vivant, quod nulli, & maxime
ecclesiastica beneficia obtinentes in sua do-
mo vel alibi retineat concubinas, aut mu-
lieres de fornicatione susceptas: de quibus
aliqua sinistra suspicio valeat exoriri, sub
simili, & juris communis poenis.

§.9. Item quod nullus Clericus, aut Sa-
cerdos habens filios etiam legitimos, vel
ex concubina aliqua præsumat, quod filius
seu filii sui palam deserviant in Missa five
aliquo servitio divino Ecclesiastico sub
pœna arbitrio nostro Successorum nostro-
rum, seu deputatorum ut præfertur auge-
ferenda.

§.10. Item quod nullus Clericus sine
præfati Domini Vicarii pro tempore exi-
stentis, aut ejus Officialium licentia cujus-
cumque conditionis aut status existat, præsu-
mat accedere ad quodcumque Monasterium
Monialium exceptis, qui senio sunt con-
fecti, & quibus nulla possit etiam sinistra su-
spicio, utpote in octuagesimo eorum ætatis
anno existentibus sub pœna similiter inferenda.

§.11. Item quod nullus Clericus præsu-
mat ad arandum, five ad taxillos, aut ad
aleas, nec forte: Digtos non ludant,
audeant five cartas, aut aliquem ludum
in taberna aut loco publico five privato,
in quo ludat pecunias, aut vinum, aut
prandium, five cœnam, five minimum quod
comestibile sub pœna, ut præscribitur au-
ferenda.

§.12. Item quod nullus Clericus Benefi-
ciatus cujuscumque conditionis, præmi-
nentia, aut status existat, præsumat man-
icas ad saccam aut largas more hominum
secularium suo vestimento portare, quæ
manicæ palmo cum dimidio latiores non
sint sub pœna auferenda prædicta.

§.13. Item quod nullus Clericus divitias
seu solatas aut capitium quod ultra unam
Cannam panni contineat, seu arma offen-
siva vel defensiva portare præsumat sub
pœna, ut præscribitur, inferenda.

§.14. Item quod nullus Clericus Benefi-
ciatus, cujuscumque status five conditio-
nis existat, de cætero portet comam paten-
tibus auribus, quæ tangat aures, coronam
verò rotunditatis unius magnæ hostiæ qui-
libet honestè ferat: nemo propterea atton-
sus incedat, sed in coma, ut superius dictum
est, ut Clericus non Laicus cognoscatur, re-
formetur: contrarium facientes nullo gau-
deant privilegio Clericali, sed ut Laici pun-
niantur, & reputentur, & alias arbitrio
dicti Domini Vicarii castigentur.

§.15. Item irrefragabili Constitutione
nostra sancimus, quod nullus Clericus, qui
non servit Ecclesiæ, in qua Beneficiatus
existit, in divinis percipiat distributiones
quotidianas, aut emolumentum, vel lu-
crum, seu obventionem aliquam, vel ali-
quas etiam funeris vel rei alterius, si non
interfuit funeri aut rei illi, de qua percipi-
tur emolumentum, aut lucrum seu perci-
piuntur obventiones: sed pars illa interes-
sentibus aut servientibus accedat. Et per
superbiam, vel potentiam, vel quovis mo-
do non deserviat, aut non interfit, portio-
nem, ut præfens, vendicare potenti aliter
voluerit, ipso facto excommunicationis
sententiam, & sui Beneficii privationem in-
currat: Ita ut talis quod sic contrafecerit
ejus Canonatus, & præbenda, & quæcun-
que beneficia per hujusmodi privationem
vacantia impetrari possint libere, & iuste.

§.16. Item

1432.
Clericorum
& Præby-
terorum filii
is ad altare
non mini-
strent.

Clerici nisi
senes sint ad
Monialium
Domos non
accedant.

De vestim.
modestia.

Nec arma de-
ferant.

Comam non
nutriant.

De servitio
Beneficio præ-
stando.

1432.
Beneficia ob-
tinentes se-
cularia offi-
cia, exercere
non possunt.

§.16. Item, quod nullus Clericus, aut Canonicus cujuscumque itatus, gradus, & conditionis existat, qui in Urbe beneficium aut beneficia habet, debeat tenere vel regere, seu habere aliquod officium seculare in Urbe, aut extra Urbem, Clericis interdium: Qui vero contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & beneficia ipsius libere, & licite impetrari, ut supra, possint: pronuociantes ex nunc prout ex tunc eos ipso facto omni Beneficio Ecclesiastico privatos ac omni clericali privilegio denudatos.

Nec Clericus
exerceat ar-
tem Clericis
interdictam.

§.17. Item, quod nullus Clericus exerceat artem aliquam Clericis interdictam; si quis autem contrarium fecerit, poenam arbitrio nostro, & successoris nostri imponendam incurrat: nec sit opus in casu predicto ipsum Clericum moneri: cum jura disponent, quod quilibet Clericus appareat in totum Clericus clericalia exercens, & non semiclericus, & semilaicus.

Notarii Vica-
rii Urbis de-
beant esse Cle-
rici.

§.18. Item quod in officio Vicariatus audentia causarum duo Notarii exercent officium Notarii, qui sint Clerici beneficiati si possint haberi, & deputari: si vero plures Notarios deputare voluerimus, aut Successores nostri voluerint ad dictum officium, sit in nostra, & eorum potestate eos deputare, & si contrarium ordinatum fuerit, in Laicos deputando, & ponendo, acta dictorum Notariorum Laicorum in dicta Curia confecta non valeant: nec teneant ipso jure, nullibique fidem faciant in aliquo Judicio aut facto: sed sint eo ipso nullius efficaciam, roboris, vel momenti.

In rebus hac
Constitutione
prohibitis pro-
cedi potest
per simplicem
denunciatio-
nem.

§.19. Item quod in supradictis, & prope dictis omnibus, & singulis capitulis, & prohibitionibus per nos, & Successores nostros, qui erunt pro tempore, eorumque Officiales procedi possint contra delinquentes, & contrafacientes in praedictis, & quibuscumque aliis criminibus, tam per inquisitionem, quam accusationem seu denunciationem, & predictos delinquentes vel quasi punire, & condemnare, pro ut & sicut in supradictis Capitulis est expressum, & declaratum.

De Funerari-
bus, & se-
pultura.

§.20. Item quia secundum Sacrorum Canonum sanctiones, qui Altari servit, de Altari vivere debet, & qui ad onus eligitur, non debet a mercede repellere: auctoritate Apostolica irrefragabili Constitutione in perpetuum valitura statuimus, & ordinamus, quod quicumque Praelatus, cujuscumque praerogativa, dignitatis, status, & conditionis existat, sive peregrinus, Cortisanus, & Advena, utriusque sexus, qui vel quae in Parochia alicujus Ecclesiae Urbis moram traxerit, in eaque Parochia diem clauserit extremum nullo condito Testamento sepeliatur in Ecclesia dictae Parochiae, ubi morabatur: funeraliaque integraliter habeat, & percipiat eadem Ecclesia, sive illius Rector cum in vita, & in morte dictus rector in cujus Parochia fuit, & non alius per manum salutarem eidem, & omnia Ecclesiastica Sacramenta impendere, ac dare debeat, etiam si solum per tres dies in dicta fuerit Parochia commo-

ratus: si vero decesserit condito Testamento, & alibi elegerit sepulturam, Ecclesia, de cujus Parochia assumptus extiterit, habere debeat canonicam portionem, & medietatem cere secundum dictae Urbis consuetudinem: quibuscumque privilegiis, gratiis, sive indulgitiis in contrarium allegantibus nullatenus profuturis: cum nimirum debeat reprehensibile judicari, ut Clerici aliorum Clericorum labores, & fructus per improbae ambitionis temeritatem subripere debeant, & habere, quos Sacri Canones pie, iuste, debitaque benignitate pensata pauperibus Clericis laudabiliter Altissimo famulantibus concesserint erogari: mandantes omnibus, & singulis Clericis, & personis Ecclesiasticis, cujuscumque status, gradus, ordinis existant, in Urbe, & ejus districtu commorantibus, ut praedicta omnia, & singula contenta, descripta, & narrata in dictis Constitutionibus, & Capitulis per nos ordinatis sub poena, & ad poenam in dictis Capitulis, & Constitutionibus apposita, & appositam observent, & observari faciant non derogando aliis Constitutionibus, & ordinationibus haecenus in dicto Clero antiquitus observatis: sed potius illas, & illa confirmando. In cujus rei Testimonium praesentes litteras fieri, & per honorabile virum Petrum Paulum Laurentii nostrum, & Curiae nostrae Notarium subscribi, nostrisque sigilli fecimus appensione muniri.

Legalizatio
presentis ad-
iti.

§.21. Acta fuerunt haec Romae in Palatio Apostolico anno a Nativitate Domini Millelmo quadringentesimo trigelimo primo, die secunda Mensis Novembris Indictione nona Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Eugenii Divina Providentia Papae Quarti anno primo: praesentibus ibidem egregiis viris Domino Jacobo de Tuderto Auditore causarum Curiae ipsius Domini Vicarii, & Presbytero Joanne Angelo de Civitate Pennae ipsius Domini Vicarii Capellano, & Presbytero Valentino Canonico Ecclesiae Sancti Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe Testibus ad praemissa vocatis specialiter, & rogatis. Et ego Petrus Paulus Laurentii Lelli Pauli Romanus Civis Canonici Ecclesiarum Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, & Sancti Marci de Urbe, Dei gratia publicus Apostolica auctoritate Notarius, & nunc Notarius Curiae supradicti Domini Vicarii, quia praedictis omnibus, & singulis una cum supradictis Testibus interfui, & praesens fui, sed aliis occupatus negotiis per alium scribi feci, ideo ea subscripsi, & publicavi, & sigillo praefati Domini Vicarii signavi rogatus, meumque signum apposui consuetum, in fidem, & Testimonium omnium praemissorum.

Nulli ergo &c.
Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo primo, octavo Kalendas Martii Pontificatus nostri Anno Primo.

Dat. die 21.
21. Februarii
1432. an. 1.

V.
Privilegium Curialium sive Officialium Sedis Apostolice obsequiis existentium, aliorumque pro eorum negotiis ad eandem Sedem venientium, & apud eam commorantium, aut inde recedentium, ne interim extra Romanam Curiam conveniantur.

EUGENIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Divina in eminenti Sedis Apostolicae specula disponente clementia constituti, ad ea libenter intendimus, per quae Officialia praedictae Sedis obsequiis eius, ad quam veluti fidelium omnium matrem pro animarum salute quaerenda, & iustitia consequenda, de diversis mundi partibus confluit multitudo, tutius, & quietius se promptiores valeant exhibere.

Privilegium
de quo in tu-
berica.

§.1. Hinc est, quod nos ex certis rationabilibus causis moti, etiam nonnullorum praedecessorum nostrorum vestigiis inherentes, districtius inhibemus locorum Ordinariis, necnon commissariis, & delegatis eorum, ceterisque universis & singulis, quacumque potestate, & auctoritate praesulgeant, cujuscumque dignitatis, gradus, vel praerogativa fuerint, ne contra Officialia praefatos quocumque nomine nuncupentur, in nostris, & dictae Sedis obsequiis, nunc & pro tempore existentes, necnon quoscumque alios pro suis, & eorum causis, & negotiis prosequendis ad Sedem praedictam venientes, ac in ea (durante negotiorum, & causarum hujusmodi prosecutione) moram trahentes, & recedentes ab eadem, procedere, aut in eos excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut privationis officiorum, vel beneficiorum, seu quamvis aliam sententiam promulgare praesumant. Nos enim omnes, & singulos processus, ac sententias contra tenorem & mentem nostrae inhibitionis hujusmodi latas, & habitas, ac in posterum habendas, & promulgandas, & quacumque inde secuta declaramus nulla, irrita, & inania, nulliusque extitisse, vel existere roboris, vel momenti, necnon quicquid in contrarium a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentatum forsitan est haecenus, vel in posterum contigerit attentari, etiam decernimus irritum, & inane.

Quod Cleri-
cos Beneficia
respetu Or-
dinariorum,
Vid. Concil.
Trident. cap.
1. sess. 23. et
cap. 11. sess.
24.

Secus acta ir-
ritantur.

Secus atten-
tantes excom-
municationis
poena puniun-
tur.

§.2. Et nihilominus in omnes, & singulos Ordinarios, ac officiales, commissarios, & delegatos eorum, qui se de dignitatibus, aut beneficiis Ecclesiasticis quibuscumque, officia, aut negotia hujusmodi apud dictam Sedem prosequuntur praedictorum eos illis forsitan privando, aut privatos decernendo, vel declarando, seu cujuscumque privationis praetextu illa personis aliis conferendo, seu de illis in ea quomodolibet introuiserint tam in dantes quam in recipientes, excommunicationis, suspensionis, & interdicti latas sententias promulgamus, quas volumus eos incurrere

ipso facto. A qua quidem excommunicationis sententia absolvi nequeant, nisi a nobis, vel per nos deputandis, praeterquam in mortis articulo constituti.

§.3. Praemissa autem a die affixionis praesentium ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, ex certa scientia quoscumque ligare volumus, & arctare.

§.4. Non obstantibus Apostolicis, & quibuscumque Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis, Constitutionibus, & ordinationibus, ac Privilegiis, per quae effectus praesentium impediri possent quomodolibet, vel differri, etiam si de illis, eorumque tenoribus habenda esset praesentibus mentio specialis & quae praesentibus haberi volumus pro sufficienter expressis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium
derogatio.

§.5. Nulli ergo &c.
Dat. Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo trigelimo secundo, octavo idus Martii, Pontificatus nostri Anno secundo.

Dat. die 8.
Martii 1432.
an. II.

VI.
Approbatio Congregationis S. Justinae de Observantia Monachorum Ordinis S. Benedicti, cum declaratione circa Capituli Generalis celebrationem, Definitoriumque ac Visitationum, Abbatum, & Priorum electionem, & auctoritatem.

EUGENIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Et si ex sollicitudinis debito pastoralis, & sub regulari observantia singulis Altissimo militantibus, in his per quae suis statui, & indemnitatibus consulitur, nos favorabiles esse deceat pariter & benignos, praeclearam tamen dilectorum filiorum Monachorum de observantia Sanctae Justinae Congregationem Ordinis S. Benedicti, ad quos etiam antequam divina favente clementia ad apicem Summi Apostolatus assumere-mur, specialem gestimus in Domino caritatis affectum, spiritualis dono laetitiae vitam, & conversationem contemplantes, quibus eis aliique proficiunt, & salutaria piis fidelium mentibus exempla transmittunt, tanto solertius ea prosequi, necnon instaurare studiis gerimus assiduis, per quae Congregationis hujusmodi status feliciter adaugeri, solidarique poterit, quanto per assumptionem hujusmodi major nobis desuper attributa facultas est, & ampliore Christianicis speramus jugiter provenire salutem.

Praemium.

§.1. Attento itaque quod fel. rec. Martinus Papa Quintus praedecessor noster, nonnulla eidem Monachis contulit privilegia, quae non usque adeo ad pleniorum ejusdem Congregationis soliditatem, augmentumve sunt sufficientia; ideo nos propter dictorum Monachorum laudabilem vitam, & exemplares mores nobis diu cognitos praefatum praedecessorem nostrum sequentes, atque ubi opportunum fuerit nonnulla innovantes, & adiacentes, proprio motu, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, nec-

Congregatio- nem S. Julii- na Benedic- torum con- firmat.

De Generali Capitulo fin- gulis annis re- novando.

De Definito- ribus in eo eligendis, il- lorumque fa- cultatibus.

ne non irrefragabili, perpetuaque constitu- tione sancimus, & presentium serie statui- mus, volumus pariter, & ordinamus, quod omnes, & singuli dictae Congregationis ordi- nem ipsum professi, praesentes, & futuri, quamvis in diversis pro tempore Monasteriis sive locis morentur, unum tamen corpus, & una Congregatio existant. Quam quidem Congregationem auctoritate, & scientia simulibus approbamus, & ut a Christifidelibus in reverentia, & devotione habeatur hortamur, eamque sub Ordine, & regula S. Benedicti esse declaramus, atque constituimus.

§.2. Quodque pro eorum salubriori statu in loco ad id congruo, generale juxta laudabilem, quae desuper dudum viguit consuetudinem, Capitulum per eos singulis annis celebretur, nec illud, postquam inchoatum fuerit, donec pro alio futuro celebrando Capitulo similis locus electus, & acceptatus extiterit, quomodolibet dissolvatur.

§.3. In quo quidem Capitulo, novem ex his qui in illo habere vocem possunt eligantur Definitores, qui sic electi totum Capitulum praefatum representantes, pro salubri dictae Congregationis successu, statuta, constitutiones, & ordinationes, ac omnia, & singula, quae in spiritualibus ipsius Congregationis, ac praefatae regulae statum, observantiam, & indemnitatem, necnon circa divini Officii directionem, & ordinationem, absque tamen ipsius regulae variatione substantiae, vel effectus, interpretationem, seu declarationem quomodolibet concernere poterunt, auctoritate praedicta instituendi, ordinandi, interpretandi, declarandi, necnon ea quae sic instituta, ordinata, interpretata, vel declarata fuerint, in toto vel in parte, prout rerum, & temporum qualitates exegerint, amovendi, alterandi, & in melius commutandi, plenam & liberam in omnibus habeant facultatem. Quorum Definitorum status, constitutionibus, ordinationibus, & definitionibus, & correctionibus, singuli de Congregatione hujusmodi cujuscumque dignitatis, status, gradus, sive conditionis existant in omnibus efficaciter parere teneantur.

§.4. Volentes, ac statuantes quod hujusmodi Definitores de praedictis Monasteriis, & locis, ac eorum bonis prout utilitatibus praedictae Congregationis videbitur expedire, libere disponere.

§.5. Nec non eos ex ipsis Monachis praesentibus, & futuris, quos ad id idoneos judicaverint, in Abbates, & Priores vacantium pro tempore Monasteriorum, ac Prioratum hujusmodi alias juxta dictae Congregationis constitutiones, ordinationes, & statuta eligere sive nominare, necnon ad beneplacitum eorum taliter electos sive nominatos, absque aliqua dictae causae cognitione a regimine & administratione dictorum Monasteriorum, quibus tunc praesuerint, & quae tunc propterea vacare censeantur, absolvere, & amovere, ac etiam omnia & singula, quae in praemissis omnibus, & circa ea quomodolibet necessaria vel opportuna

fuerint, facere & exequi libere, & licite possint & valeant

§.6. Plane, ne post dissolutionem hujusmodi Capituli praedictae Congregatio regimini solatio destituta remaneat, quinque vel plures prout Definitores hujusmodi visum fuerit Visitatores deputentur, quorum unus juxta ipsorum Definitorum dispositionem Praesidentis vicem, nomenque suscipiat, & ad eum secundum hujusmodi Capituli decreta, singula praedictae Congregationis negocia deferantur, ipsique Praesidens & visitatores omnia & singula faciant, disponant & exequantur, super quibus ab hujusmodi Capitulo muniti potestate fuerint, vel quae ab eo receperint in commissis, aut alias juxta eorum constitutiones, & statuta, quorum officia usque ad sequens anno proximo futuro tunc celebrandum hujusmodi Congregationis Capitulum dumtaxat durent.

§.7. Locus autem Capituli praedicti, postquam electus, & acceptatus fuerit, absque rationabili causa, de Praesidentis eoque necnon majoris partis Visitorum eorumdem assensu, nullatenus immutetur.

§.8. Praeterea omnes & singuli praesentes & futuri dictae Congregationis Praelati, necnon monachi conversi & commissi, sub praefatorum Visitorum & consequenter illorum Praelatorum, in quorum Monasteriis sive locis ipsi monachi conversi & commissi morantur, obedientiam sistant, eas hinc inde prout decens fuerit humiliter impensuri.

§.9. Et insuper ne facilitate praecipiti religionis jugum quis acceptet, nullus ex Monasteriorum sive locorum hujusmodi Praelatis, absque deliberatione matura, necnon duarum partium sui Conventus assensu, quempiam in monachum sive conversum Monasterii, sive loci cui praesit, quomodolibet ad professionem recipiat, aliter vero inibi recepto, nisi postea praedictus accedat assensus standi vel morandi ibidem sit penitus interdictum.

§.10. Sane ut cujuslibet materia turbationis adempta persona Congregationis hujusmodi quietius valeant Altissimo famulari, omnes & singuli quos de Prioribus in quibus professi fuere Monasteriis & locis, ad alia praesentia & futura dictae Congregationis Monasteria sive loca, juxta ordinationem Capituli hujusmodi transferri contigerit, aut alias pro conventualibus quomodolibet deputari, ex tunc ab ipsis Prioribus Monasteriis, atque locis realiter absoluti sint, & aliorum Monasteriorum locorumque praedictorum, quamdiu steterint ibidem monachi, ac suppositi reputentur, & pro conventualibus inibi habeantur, in actibus & negociis capitalibus, ac si ibidem professi fuerint.

§.11. Porro, ne praemissorum occasione Monasteriis, & locis Congregationis hujusmodi, vel eorum alicui detractum fore quomodolibet extimetur, omnia Monasteria, & loca praedicta, necnon illorum Praelati, atque persona quibuslibet eis a Sede Apostolica, vel alias qualitercumque concessis, de

De Visitato- ribus.

De loco futuri Capituli.

De obedientia Praelatis Ordinis praestanda.

De recipientis in Congregationem.

De Translati- onibus a Monasteriis ad Monasteria.

Singula Monasteria, eorumque Praelati suis gaudent Privilegiis.

Quod Festivitas Sanctissimi Corporis Christi, etiam in Octava celebretur duplicatis indulgentiis a Praedecessoribus Pontificibus concessis.

Hanc Festivitatem instituit Urb. IV. Constit. XIX. Tom. III. P. I. pag. 414.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERUS SERUORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Excellentissimum Corporis & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Sacramentum, quod appropinquante passionis eius hora Dominus ipse signo praecipui, quo nos dilexit, amoris salubriter instituit, ejusque commemorationem sacratissimam jugi mentis exultatione contemplantes, ad hoc inter singulos hujusmodi mercatos sanguine spiritualia dispensare munera votis exposcimus, ut illi condignis allurgentes laudibus, sua frequentius ad ipsius venerationem Sacramenti corda dirigant, & eo quo corporalis habetur praesentia Salvatoris viatico fructus vitae complectentes aeternae caelestia conscendant, ipsum, qui se nobis in edulium tribuit, perpetuo conspiciant.

§.1. Sane dudum pia mem. Urbanus Papa Quartus praedecessor noster, &c. Et subequenter Martinus PP. V.

§.2. Nos vero quos interim ad summi Apostolatus apicem divina clementia perduxit, etiam pro frequentiori hujusmodi veneratione Sacramenti summis gestientes affectibus nostri partes ministerii salubriter impertiri, necnon relaxationes, & concessiones praedictas Apostolice roboris munimnis ipsorum notioni fidelium committentes praemissis per eundem Martinum praedecessorem, ut praesertim relaxatis diebus alios totidem dies pariformiter ab ipsis fidelibus consequendis adjicimus per praesentes.

§.3. Et insuper universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Praelatos monemus ac hortamur in Domino, ac eis per Apostolica scripta in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, & in remissione peccaminum infungimus, ut per se vel alios eorum subditos per singulas suarum Civitatum & Dioecesium Ecclesias in dominica feriam & festum praedicta proxime praecedente, salutaribus ad venerationem potissime Sacramenti hujusmodi monitis & exhortationibus praesentium, quarum etiam tenor inter matutinales festorum, necnon dierum octavarum hujusmodi lectiones recitetur, litterarum continentiam & effectum publicare & infinuare procurent, ut ejusdem Sacramenti suffragante mysterio subditi & fideles ipsi spiritualium gratiarum uberiori fulciantur augmento, & ab illo, qui se per ipsum immolavit hostiam post hunc vitam cursum ad gloriam perducantur aeternam.

§.4. Verum quia difficile foret hujusmodi literas singulis exhiberi, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsarum transumpto manu publica, & sigillo alicu-

Proemium.

Auguet dies indulgentiarum.

Haece literas publicari iudicatur.

Transumptis adhibenda sigilla.

de jure, seu consuetudine quomodolibet debitis juribus, praeminentiis, ac dignitatibus inconcussa gaudeant, & utantur dummodo illa praemissis, & aliis hujusmodi Congregationis ordinationibus, & institutis non obstant, nec propterea ex Monasteriis ipsis unum reputetur alteri subiectum, sed eis in sua libertate remanentibus illa vicissitudinis adminiculo conjuncta sub felici dictae Congregationis regimine uniformi regularis observantiae gressu sibi invicem suffragentur.

§.12. Adicientes quod quotiescumque Praelatus aliquis Monasterium cui praesuerit, ad ejusdem Congregationis observantiam reducere, & sub illa reformare delegerit, juxta statuta, decreta, necnon ordinationes Congregationis hujusmodi, prout congruentius poterit, ipsam reformationem faciat, ejusque desuper acta, conventiones & modique de consensu Congregationis ejusdem, vel illorum, quos ad id deputaverit, in formam publicam redacta fuerint, eo ipso confirmationis Apostolicae sint robore suffulta.

§.13. Sane cum praedictus praedecessor praedictae Congregationis concesserit, quod vacantibus Monasteriis, quae tunc erant dictae Congregationis, electiones recte & canonice celebrandae a duobus partibus eligentium auctoritate Apostolica confirmatae ipso facto censerentur; Quodque de omnibus redditibus Monasteriorum praedictorum quinta pars pro decenti sustentatione Praelatorum deputaretur, aliae vero quatuor partes per Cellerarios absque contradictione Praelatorum in Monacorum, & Conventuum utilitatibus dispensarentur;

§.14. Nos attendentes quod hujusmodi ordinationes & decreta, non ad conservationem & augmentum dictae Congregationis, sed ad ejus dispendium maximum cederent, & detrimentam, omnia & singula statuta, ordinationes, & decreta electionum, & reddituum divisiones hujusmodi revocamus pariter & annullamus. Volentes & statuantes quod electiones Abbatum & Priorum ad dictae Congregationis Capitulum generale, aut Praesidentem, & Visitatores juxta concessam eis, ut praesertim, facultatem, & eorum constitutiones & Statuta pertineant, quibus taliter electis, juxta regulam S. Benedicti, & eorum constitutiones Monasteria ipsa, sive loca, & eorum bona tam in spiritualibus quam temporalibus regendi & gubernandi libera & licita sit facultas.

§.15. Non obstantibus praemissis, ac aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam si de illis specialis & expressa, ac de verbo ad verbum praesentibus mentio habenda esset, quibus quo ad praemissa specialiter derogamus, necnon Monasteriorum, Prioratum, & Ordinum praedictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae 1432. nono Kal. Decembris, Pont. nostri Anno secundo.

De modo reformandi Monasterii.

De electionibus Praelatorum, & reddituum divisione.

Obstantium derogatio.

Dat. die 23. Novem. 1432. an. II.

1433.

ailcujus Episcopalis vel superioris Ecclesie Curie munito, tamquam prelati si originales exhiberentur literis plena fides adhibeatur, & perinde ac si originales literae forent exhibitae vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae MCCCXXXIII. septimo Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno tertio.

VIII.

Amoeniensis Ecclesia Parentinae unitur. EUGENIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad futuram rei memoriam.

Concilio Orbis Ecclesiis disponente Domino praesidentes, circa ipsarum statum salubriter dirigendum studii invigilamus assiduis, easque sic cupimus nostri ministerii praesidio dirigi, quod ob detrimenti subleventur commodis, & prosperis jugiter proficiant incrementis.

§.1. Cupientes igitur Parentin., & Amoenien., Ecclesiarum Provinciae Aquilejen. statui, & indemnitate salubriter providere, sperantes quoque quod ipsae Parentinen., & Amoenien., Ecclesiae etiam sub felici Pastoris unius regimine spiritualiter, & temporaliter optatos debeant contingere successus, necnon Parentinen., & Amoenien., mensarum Episcopatum fructus redditus, & proventus praesentibus pro sufficienter expressis habentes, ex certis rationabilibus animi nostrum ad id moventibus causis, nec non de venerabilium Fratrum nostrorum consilio dictas Parentinen., & Amoenien., Ecclesias cum omnibus suis juribus, & pertinentiis insimul, quam primum dictam Amoeniensem per cessum, vel decessum, aut alio quovis modo vacare contigerit, auctoritate Apostolica in perpetuum investimus, & unimus, ita quod dictarum unitarum Ecclesiarum unus Praesul, & Episcopus sit, liceatque Episcopo Parentin. tunc existenti per se, vel per alium possessionem Episcopalis mensae Amoenien. hujusmodi auctoritate propria liberè apprehendere, nec non sibi, & successoribus Episcopis Parentinen. pro tempore existentibus, fructus, redditus, & proventus ejusdem mensae in suis, ipsarumque mensarum usus convertere perpetuo pariter, & retinere, ac in Civitate, & Dioecesi Amoenien. omnia, & singula Pontificalia, jurisdictionalia, & alia, quae Episcopi Amoenien. antea existentes ratione dictae Amoenien. Ecclesiae potuerunt, ac debuerunt inibi facere, ac etiam exercere, cujusvis super hoc licentia minime requisita.

§.2. Mandantes dilectis filiis Clero, Civitati, ac Dioecesi earumdem, ut postquam annexio, & unio hujusmodi sortita fuerint effectum, praefato Episcopo tunc existenti, & successoribus in his omnibus, quae de jure Episcopali inibi fuerint, humiliter pareant, & intendant.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac ipsarum uni-

Ex Ubell. Ital. sac. ubi de Ecclesia Parentina.

Exordium.

Unio, de qua in Rubrica.

Obedientia à Clero Amoenien. Episcopo Parentin. praestanda.

Obstantium derogatio.

tarum Ecclesiarum juramento confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Provisio, quod propter annexionem, & unitates praedictas, ipsae unitae Ecclesiae in spiritualibus non laedantur, & in temporalibus nullatenus subeant detrimenta. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Nulli ergo &c. Datum Romae apud Sanctum Gregorium Anno Incarnationis Dominicae MCCCXXXIV. sexto Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

IX.

Contra simoniaca pravitatis reos, eorumque mediatores.

EUGENIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum detestabile scelus simoniaca pravitatis tam divinarum scripturarum, quam sacrorum Canonum auctoritas abhorreat & damnet, nos considerantes, quod plures poenarum gravitas, quam Dei timor avertere solet à voluntate peccandi, ac summis desideriis affectantes, ut hoc pestiferum vitium non ex usu solum, sed etiam ex mentibus hominum saltem propter poenarum metum penitus evellatur;

§.1. Praedecessorum Romanorum Pontificum vestigiis inhaerendo, ac etiam omnes & singulas excommunicationis, suspensionis, privationis, & interdicti sententias, censuras, atque poenas dudum à Pontificibus praedictis, & pro talibus reputatis contra simoniacos quomodolibet latas, & quas illos cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, vel praeminentiae fuerint, etiam si Cardinalatus, Patriarchali, Episcopali, Regali, Reginali, vel alia quavis ecclesiastica, seu mundana dignitate praefulgeant, & eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum ipso facto incurere volumus, confirmantes & innovantes, auctoritate Apostolica declaramus, quod omnes illi, qui simoniace ordinati fuerint, à suis sint ordinibus suspensi, per electiones vero, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniae labe fieri contigerit, & quae viribus omnino careant, in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus personalibus, officiis Ecclesiasticis, quibusvis beneficiis, aut aliquo eorum cuiuscumque jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad omnium illorum, quae perceperit, restitutionem, sub animae suae periculo sit adstrictus. Statuentes praeterea, quod universi & singuli etiam praemissa dignitate praediti, qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurant, à qua nisi à Romano Pontifice pro-

Declaratio, quod ex hac unione nentri inferatur prejudicium.

Dat. die 10. Maii 1434. an. IV.

Simoniae scelus quam sit detestabile.

Poenae contra simoniacos à summis Pontificibus latas confirmans, nonnullas auget.

Scientibus simoniacos relevandi obligationem inferit sub excommunicationis poena.

pro tempore existente non possint absolvi, praeterquam in mortis articulo constituti.

§.2. Et ut hujusmodi labis contagium frequentius reprimatur, omnibus & singulis Ecclesiasticis, secularibusque personis, cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, seu conditionis fuerint, in virtute sanctae obedientiae districte injungimus, ut eos omnes, quos simoniam hujusmodi commisisse, vel procurasse, aut in ea mediatores esse sciverint, Pontifici praedicto, vel ejus Camerario, aut cui idem Pontifex duxerit committendum, per se, vel per alios revelare quam citius non omittant; quod si non fecerint, absolvi non debeant, donec praedicta revelent. Nulli ergo &c. Si quis autem &c.

Dat. die 18. Maii 1434. an. IV.

Datum Romae apud Sanctum Gregorium, Anno Incarnationis Dominicae MCCCXXXIV. xv. Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

X.

Ampliatio Indulti à Gregorio IX. concessi Eremo Camaldulensi Monachorum Ordinis S. Benedicti, recipiendi Religiosos aliorum Ordinum.

Gregorii IX. Indultum legitur Tom. III. pag. 247.

EUGENIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Priori, & universis Fratribus domus Fratrum Eremi Camaldulensis, praesentibus, & futuris, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium.

Illaque pro tranquillo personarum sub Religionis habitu Domino famulari desiderantium studio, pie vitae statu provide facta sunt, ut illibata persistant, cum à nobis petitur, Apostolica confirmationis robore confirmamus, eaque ampliamus, & extendimus, prout in Deo hoc conspicimus salubriter expedire.

Prioris Camaldulens. petiti.

§.1. Sane dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Eremi Camaldulensis, per Priorem solite gubernari, nuper habita petitiō continebat, quod olim felicis recordationis Gregorius Papa IX. praedecessor noster, Priori, qui tunc erat, & Fratribus dictae Eremi, pro eorum, & ipsius Eremi incremento quoddam literas concessit in haec verba.

Hec Bulla non inseritur, quoniam habes eam loc. in Concordantiis citato.

Indulto Gregorii IX. quid oblatet, enarrat.

§.2. Cum autem, sicut eadem petitiō subijungebat, propter diversa privilegia, & indulta diversis Congregationibus diversarum domuum, & Monasteriorum, ex post per Apostolicam Sedem concessa, necnon diversas alias constitutiones, & ordinationes editas, concessionis praefati praedecessoris nostri plurimum derogatum existit, propter quod multi, qui in dicta Eremo Altissimo famulari affectant, ab eorum proposito retrahuntur. Quare pro parte dictorum Prioris & Fratrum nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis super hoc oportune providere, dictaque concessioni Tom. III. Par. III.

robore Apostolica confirmationis adiacere, & etiam quantum opus est, ipsam ampliare de benignitate Apostolica dignemur.

§.3. Nos itaque de praemissis plenius informati, Prioris & Fratrum praedictorum supplicationibus inclinati, concessionem praedictam, necnon dictas literas, & quaecumque in eis contenta, rata, & grata habentes, ea auctoritate Apostolica confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communimus. Vobisque ut omnes, & singulos cujuscumque Ordinis existant, & de quibuscumque Congregationibus, domibus, seu Monasteriis sive mendicantium, sive non mendicantium, etiam Carthusiensis Ordinis, venerint, qui in Eremo vestra, sub ordine & habitu vestro, in ipsa Eremo Altissimo perpetuo famulari elegerint; Superiorum ipsorum licentia petita, licet non obtenta, sine cujusquam contradictione, & alias secundum praefati praedecessoris nostri in dictis literis contentam voluntatem, recipere, & retinere possitis, tenore praesentium indulgemus.

§.4. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, privilegiis, & indultis quibuscumque, sub quavis forma verborum in contrarium forsan factis, seu faciendis. De quibus etiam & eorum totis tenoribus, in praesentibus esset habenda mentio specialis. Nulli ergo &c.

Datum Florentiae Anno Incarnationis Domini MCCCXXXV. viii. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

XI.

Erectio Ecclesiae Cornetanæ in Provincia Etruriae cum privilegiis, gratiis, & indultis.

EUGENIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

In summa dignitate Apostolicae speculae superni dispositione consilii licet immeriti constituti, ad universas fidelium regiones aciem nostrae considerationis extendimus, & prout fidelium populorum integritas, & locorum, ac temporum utilitas persuadet, Regiones & populos hujusmodi condignis favoribus & gratiis decoramus, & precipue illos, quos merita devotionis, & fidelitatis exornant, ut eorum digna retributio cedere possit aliis in exemplum.

§.1. Hodie siquidem attenta meditatione pensantes, quod terra nostra Corneti, quae usque in praesens fuerat Viterbien., & Tuscanen. Dioecesis ordinario jure subiecta, adeo, sicut facti notorietas manifestat, Domino benedicente in populi fidelis multitudine fecundata, ac rerum omnium ubertate resecta existat: quodque dilecti filii ipsius Terrae populus, & commune inter ceteros Italiae populos Romanae Ecclesiae sponse nostrae fidelis devotionis, & fidelitatis sinceritate praefulgeant, quod ex debito gratitudinis meruerint, ut eos Apostolica Sedes paternis consequeretur affectibus, & gloriosis, ac singularibus insigniis decoraret: unde

Illud explicat, extenditque.

Contrariis derogat.

Dat. die 24. Nov. 1435. an. V.

Ex Regest. in Archio. Vatic.

Proemium.

Causa devotiendi ad hujusmodi erectionem.